Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36544
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

sue instituta placere per omnia gestiunt quo possit unusquisque ex his qui illum numerum secuntur cum forte aliquis ut diximus decesserit dignus uideri qui in illum locum defuncti substitui debeat. Igitur dositheus plurimis ad hoc exoratus ut locum in numero faceret introduxit symonem. Sed hic non multo post incidit in amorem mulieris huius quam lunam uocitant. nobisque utpote familiaribus suis omnia concredebat quod magus esset et quod amaret lunam quamque gloriae cupidus noluit ea ingloriosius frui sed expectare patienter donec honeste ea uti liceret. si tamen etiam nos conspiraremus ei ad omnia que uoluit. sed et ministerii huius mercedem daturum se nobis pollicebatur summis ut honoribus affici et deum esse ab hominibus crederemur. tamen ut in inq. symoni defferatur primatus. quod possum magica arte multa signa et prodigia ostendere per que vel gloria vel secta nostra ratio constaret. Possum enim facere ut uolentibus me comprehendere non appaream. et rursum nolens uideri palam sim. Si fugere uelim montes perforem et saxa quasi lutum pertranseam. si me de monte precipitem excelso tamquam subuectus ad terram illesus deferar. Vinctus memetipsum soluam. eos uero qui in uincula inicerunt uinctos reddam. In carcere ligatus claustra patefieri faciam. statuas animatas reddam ita ut putent ab his qui uident homines esse.

Nouas arbores subito oriri faciam et repentina uirgulta producam. in ignem memetipsum iniciens non ardeam. uultum meum commuto ut non agnoscar. sed et duas facies me habere possum hominibus ostendere. ouis aut capra efficiar.

Pueris paruulis barbam producam. in aerem uolando inuehar. aurum. plumbum plurimum ostendam. reges faciam. eosque eiciam. adorer ut deus. publice diuinis honorabor honoribus ita ut simulacrum mihi statuentes ut deum colant et adorent. Et quid opus est multa dicere. Quicquid uoluero facere potero. Multa etenim iam in experimenti causa estimata sunt. Denique aliquando cum mater mea rachel iuberet me exire ad agrum ut meterem. et ego falcem uidens positam precepi ei ut iret et meteret et messuit decuplo amplius ceteris. Multa iam noua uirgulta produxi de terra et in arborem comare ea ego feci sub momento temporis apparere. et montem proximum sedo perforaui. Et hec cum diceret de uir-